

**EXORCISMUS**  
**IN SATANAM ET ANGELOS APOSTATICOS**  
**JUSSU LEONIS PP. XIII EDITUS**  
**(Acta Sanctæ Sedis, vol. XXIII)**

In nōmine Patris et Fílii **¶** et Spíritus Sancti. Amen.

**Psalmus 67.**

Exsúrgat Deus et dissipéntur inimíci ejus: \* et fúgiant qui odérunt eum  
a fácie ejus.  
Sicut déficit fumus defícient; \* sicut fluit cera a fácie ígnis, sic péreant  
peccatóres a fácie Dei

**Psalmus 34.**

Júdica Dómine nocéntes me; \* expúgna impugnántes me.  
Confundántur et revereántur \* quaeréntes ánimam meam.  
Avertántur retrórsum et confundántur, \* cogitántes míhi mála.  
Fíant támquam púlvis ante fáciem vénti: \* et Ángelus Dómini  
coárctans eos.  
Fiat via illórum ténebrae, et lúbricum: \* et Ángelus Dómini pérsequens  
eos.  
Quóniam grátis abscondérunt míhi intéritum láquei sui: \* supervácue  
exprobavérunt ánimam meam.  
Véniat illi láqueus quem ignórat; \* et cáptio quam abscóndit,  
aprehéndat eum: et in láqueum cádat in ipsum.  
Ánima áutem mea exsultábit in Dómino: \* et delectábitur super salutári  
suo.  
Glória Pátri, et Fílio, \* et Spirítui Sancto.  
Sicut érat in princípio et nunc et semper, \* et in saécula saéculórum.  
Amen.

Ad S. Michaëlem Archangelum  
Precatio

Prínceps gloriosíssime cœlestis milítiae, sancte Michaël Archángel, defénde nos in proelio advérsus príncipes et postestátes advérsus mundi rectóres tenebrárum harum, contra spirituália nequitiæ, in cœlestibus. Veni in auxílium hóminum: quos Deus ad imáginem similitúdinis suæ fecit, et a tyránnide diáboli emit prétio magno. Præliáre hodie cum beatórum Angelórum exércitu proélia Dómini, sicut pugnásti ólim contra ducem supérbiæ lucíferum, et ángelos ejus apostáticos: et non valuérunt, neque locus invéntus est eórum amplius in coélo. Sed prójectus est draco ille magnus, sérpens antíquus, qui vocatur diábolus et sátanás, qui sedúcit univérsum orbem; et prójectus est in terram, et ángeli ejus cum illo missi sunt. En antiquus inimicus et homicida veheménter eréctus est. Transfigurátus in ángelum lucis, cum tota malignórum spirítuum catérrva late circuit et invádit terram, ut in ea déleat nómen Dei et Christi ejus, animásque ad ætéra glóriæ corónam destinátas furétur, máctet ac pérdat in sempitérnum intéritum. Virus nequitiæ suæ, támquam flumen immundíssimum, draco maléficus transfundit in hómines depravátos mente et corrúptos corde; spiritum mendáci, impietatis et blasphémiæ; halitúmque mortíferum luxúriæ, vitiórum ómnium et iniquitátum. ECCLÉSIAM, AGNI IMMACULÁTI SPONSAM, FAVÉRRIMI HOSTES REPLEVÉRUNT AMARITUDÍNIBUS, INEBRIÁRUNT ABSÍNTHIO; AD ÓMΝIA DESIDERABÍLIA EJUS ÍMPIAS MISÉRUNT MANUS. UBI SEDES BEATÍSSIMI PETRI ET CÁTHEDRA VERITÁTIS AD LUCEM GÉNTIUM CONSTITÚTA EST, IBI THRÓNUM POSUÉRUNT ABOMINATIÓNIS ET IMPIETÁTIS SUÆ; UT PERCÚSSO PASTORE, ET GRÉGEM DISPÉRDERE VÁLEANT. Adésto ítaque, Dux invictíssime, pópulo Dei contra irrumpéntes spirituáles nequitiás, et fac victóriam. Te custódem et patrónum sancta venerátur Ecclésia; te gloriáтур defensore advérsus terréstrium et infernórum nefárias potestátes; tibi trádedit Dóminus ánimas redemptórum in supérna felicitáte locáandas. Deprecáre Deum pacis, ut cónterat sátanam sub pédibus nostris, ne últra váleat captívos tenére hómines, et Ecclésiæ nocere. Offer nostraras preces in conspéctu Altíssimi, ut cito antícipent nos misericórdiæ Dómini, et apprehéndas dracónem, serpéntem antíquum, qui est diábolus et sátanás, ac ligátum mittas in abyssum, ut non sedúcet amplius gentes. Hinc tuo confisi præsídio ac tutela, sacra sánctæ Mátris Ecclésiæ auctoritáte (**si fuerit clericus:** sacri ministérii nostri auctóritate), ad infestatiónes diabólicæ fráudis repelléndas in nómine Jesu Christi Dei et Dòmini nostri fidéntes et secúri agrédimur.

℣ Ecce Crucem Dómini: fúgite, partes advérsæ.  
℟ Vicit Leo de tribu Juda, radix David.  
℣ Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos.  
℟ Quemádmodum sperávimus in te.  
(si fuerit clericus: ℣ Dóminus vobíscum  
℟ Et cum spíritu tuo.)

Orémus.

Oratio

Deus, et páter Dómini nóstri Jesu Christi, invocámus nómen sánctum tuum, et cleméntiam tuam súpplices expóscimus: ut per intercessióinem immaculátae semper Vírginis Dei Genitícis Maríae, beáti Michaélis Archángeli, beáti Jóseph ejúsdem beátae Vírginis Sponsi, beatórum Apostolórum Pétri et Páuli et ómnium Sanctórum, advérsus sátanam, omnésque álios immúndos spíritus, qui ad nocéndum humáno géneri animásque perdéndas pervagántur in mundo, nóbis auxílium praestáre dignérис. Per eúmdem Chrístum Dóminum nóstrum. Amen.

### Exorcismus

EXORCIZÁMUS te, ómnis immúnde spíritus, ómnis satánica potéstas, ómnis incúrsio infernális adversárii, ómnis légio, ómnis congregátio et secta diabólica, in nómine et virtúte Dómini nostri Iesu ✠ Christi, eradicáre et effugáre a Dei Ecclésia, ab animábus ad imáginem Dei cónditis ac pretiósio divini Agni sanguine redémpsis ✠. Non ultra áudeas, sérpens callidíssime, decípere humánum genus, Dei Ecclésiam pérsequi, ac Dei eléctos excútere et cribráre sicut tríticum. ✠ Imperat tibi Deus Altíssimus ✠, cui in magna tua supérbia te símilem habéri adhuc præsúmis; qui ómnes hómines vult salvos fieri, et ad agnitióñem veritátis venire. Imperat tibi Deus Pater ✠; Imperat tibi Deus Fílius ✠; Imperat tibi Deus Spíritus Sanctus ✠. Imperat tibi majéstas Christi, aetérnum Dei Verbum caro factum ✠, qui pro salúte géneris nostri tua invídia pérditi, humiliávit semetípsum factus obédiens usque ad mortem; qui Ecclésiam suam aedificávit supra fírmam pétram et portas ínferi advérsus eam numquam esse prævalitúras edíxit, cum ea ipse permansúrus ómnibus diébus úsque ad comsummatióñem saéculi. Imperat tibi sacraméntum Crucis ✠, omniúmque christiánæ fídei Mysteriorum virtus ✠. Imperat tibi excélsa Dei Génitrix Virgo María ✠, quæ superbíssimum caput tuum a primo instánti immaculátæ suæ Conceptiónis in sua humilitáte contrivit. Imperat tibi fides sanctórum Apostolórum Petri et Pauli ceterorúmque Apostolórum ✠. Imperat tibi Mártyrum sanguis, ac pia Sanctórum et Sanctárum ómnium intercéssio ✠. Ergo, draco maledícte et ómnis légio diabólica, adjurámus te per

Deum ☩ vivum, per Deum ☩ verum, per Deum ☩ sanctum, per Deum, qui sic diléxit mundum, ut Fílium suum unigénitum dáret, ut ómnis, qui credit in eum, non péreat, sed hábeat vitam ætérnam; cessa decípere humánas creatúras, eisque ætérnæ perditiónis venénum propináre: désine Ecclésiæ nocére et eius libertáti láqueos injícere. Vade, sátana, invéntor et magíster omnis falláciæ, hostis humánæ salútis. Da locum Christo, in quo nihil invenísti de opéribus tuis: da locum Ecclésiæ unæ, sanctæ, cathólicæ et Apostólicæ, quam Christus ipse acquisívit sanguine suo. Humiliáre sub poténti manu Dei; contremísce et éffuge, invocáto a nobis sancto et terríbili Nómine Iesu, quem ínferi trémunt, cui Virtútes cœlórum et Potestátes et Dominationes subiéctæ sunt; quem Chérubim et Séraphim indeféssis vócibus láudant, dicéntes: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dóminus Deus Sabaoth.

℣. Dómine, exáudi oratióne meam.

℟. Et clámor meus ad te véniat.

(Si fuerit clericus: ℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spírito tuo.)

Orémus.

Oratio

Deus cæli, Deus terræ, Deus Angelórum, Deus Archangelórum, Deus Patriarchárum, Deus Prophetárum, Deus Apostolórum, Deus Mártyrum, Deus Confessórum, Deus Virginum, Deus qui potestátem habes donáre vitam post mortem, réquiem post labórem: quia non est Deus præter te, nec esse potest nisi tu, crátor ómnium visibílium et invisibílium, cuius regni non erit finis: humíliter majestati gloriæ tuæ suplicámus, ut ab omni infernálium spirítuum potestáte, láqueo deceptióne et nequítia nos poténter liberáre, et incólumes custodíre dignéris. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

℣. Ab insídiis diáboli,

℟. Libera nos, Dómine.

℣. Ut Ecclésiam tuam secúra tibi fáciás libertáte servire,

℟. Te rogámus, audi nos.

℣. Ut inimícos sanctæ Ecclésiae humiliáre dignéris,

℟. Te rogámus, audi nos.

Et aspergatur locus aqua benedicta.